445

K

300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

KW 445 K 300

In

PAPATUS NOSTRI SÆCULI,

Et

REMONSTRANTISMUM,

à

D. ARNOLDO POELENBURGIO

Enarratum

Oratione inaugurali,

Cum Amſtelodami, Anno CIↃ IↃCLIX, menſe Octobri, Profeſſionem apud Remonſtrantes Theologicam Auſpicaretur

SCAZON:

Occaſione temporum nunc editus in Lucem.

DOMINUS JESUS.

Matth. VII. 15.

Cavete vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos, cum veſtimentis ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces.
A fructibus eorum agnoſcetis eos.



AMSTELODAMI,

Sumptibus JOANNIS HENRICI,

4

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

NATIONALE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

In

PAPATUS NOSTRI SÆCULI,

Et

REMONSTRANTISMUM,

SCAZON.

APoſtolorum ex quo chorus ſalutaris,
Cælo beatus & Salute, deceſſit
Terris: apoſtolica magis, magis nulla
Catholica cunctis Sæculis fuit cauſa;
Cauſa Remonſtrantiſmi. Hic illa primævæ
Integritatis Sacra, & utiles cultus
Inculcat affectat que candidis votis.
Chriſto propinquus, inde proximus cunctis;
Pro parte clamat neutiquam, Sed in partes.
Facienda quæ credendaque aſſerit, lege
Neceſſitatis, paginæ Sacræ dictis:
Iſthæc ubique. Semper, aſſerunt omnes,
Nil eſſe fixum, nil Sacrum eſſe vult quicquam,
Quam quod diſerta Chriſtus eſſe vult fixum,
Sacrumque voce: quam quod optimus codex,
Intelligendum pariter infimo, & ſummo,
Mulierculæ indoctæ, viroque perdocto,
Præſcribit evidenter. Omnibus namque,
Et univerſis conſulit Sacrum ex æquo
Volumen: imo ſimplici magis plebi,
Quam ſcribæ iniquo, & turgido ſacerdoti.
Lux vera mundi, Ieſus, omnibus. Lucet,
Colluſtrat omnes, quos amor tenebrarum,
Odiſſe lucem, & cæcitate gaudere
Non cogit atra: cum tenendâ cæleſti
Declamat eloquentia rudi vulgo,
Non eruditis; qui Scientia inflati,
Intelligendo intelligunt nihil ſæpè.
Pauperculæ ſic nuntiata ſunt turbæ,

 Ho-

Homuncionibusque læta Plebejis.
Ut læta, ſic & plana Senſui indocto;
Proque imperitæ plebis, at probæ captu.
Hinc nos aperta, plana, trita, comperta
Sectamur; at que luce quæ ſua lucent
Urgemus, ube-remque proferunt frugem.
Neceſſitatis ſorte volumus exemtum,
Nullique cauſam litis eſſe moroſæ;
Obſcurum & anceps quicquid in ſacris libris.
Profunda ſcrupuloſè & alta rimari,
His nos met ipſos, cæteroſve torquere
Non aſſolemus. Quæ docere divinus
Non vult magiſter, illa nolumis ſcire.
Inſcitia hæc eſt erudita; nobis hac
Placemus eruditione. Vulgaris.
Nec laus profecto, neſcienda noviſſe,
Æquè ac ſcienda; quæque referat ſcire, aut
Neſcire parvi. At, ſcire nil opus quenquam,
Quod non ſciendum eſt omnibus. Quotus quiſque,
Vel fando ſcit de plebe Chriſtianorum,
Μυστηριώδης quid Trias, quid arcanum
Divinitatis; ut magiſter hæc noſter
Definit audax, ipſe neſciens quæ ſcit,
Et Chriſtiano haud explicanda ſermone?
Qui dammet horum inſcitiam, bonos damnet
Pleroſque; quos Deo, ſcientibus multis,
Scioliſque vanis, arrogantibus cunctis,
Acceptiores novimus modis multis,
Juſtiſque. Sed quo jure gaudet ignorans,
Cur non & errans gaudeat pari Sorte?
Errare, quam neſcire, mitius vulgo
Malum; & frequenter neſcientis errores
Abſurdiores; nonnihil ſciens, multa
Dum fingit ignorantia: at citra fraudem
Diſpendiumque, mente ſi Deum pura

Amet colatque noxia Vacans Virtus.
Quocumque aberret qui pius; via tota
Haudquaquam aberret. Urgeat per errorem
Abſurda quamvis craſſa; ſalvus errabit,
Errabit inſons: dum pia in Deum ſalva
Fiducia & mandata quæ dedit Chriſtus.
Hæc judicandi regula atque credendi,
Concordiæque candidæ; ſalutaris,
Simplex, parata, experſque difficultatis.
Hæc ſcire pauca, facere ſed docent multa;
Negotioque neutiquam docent magno,
Ni ſana deſit, mens amorque diſcendi.
At ſcire quæ ſophiſtæ acumen infelix
Excogitavit, venditatque pro ſacris:
Quanti laboris, quamque inanis eſt curæ!
Neſcire vult, qui neſcit illa, peccare;
Facienda non vult facere, mente corruptus,
Cui ſentiendi norma pravus affectus,
Libido, venter, nummus, & honor vanus:
Hic ſolus errat ſemper, & volens errat,
Totoque cœlo ab errat, & via tota.
At mente vivit atque ſorte diverſa,
Quisquis recumbens in Deum fide plena,
Ejus capeſſit juſſa corde ſincero.
Proclive ut hæc tenere; ſic aberrare
Proclive in illis, ſine quæ carent iſto;
Obſcuritatis ac habere tanto plus
Solent: neceſſitatis, ac bonæ quanto
Frugis, minori comprobanda ſunt laude.
Error meretur veniam, ubi facile erratur,
Haud facile peccatur. Severus errori
Judex, ſeverus eſt ſibi. Quis errore
Eſt liber? Errat impudentius cunctis,
Errore qui vult eſſe ſolus immunis,
Et ſapere ſolus, ut vicarius Chriſti,

Romanus Antichriſtus, ac ſequax orbis:
Et placita quiſquis non veretur humana,
Æquare vel conglutinare divinis,
Mortalibuſque obtrudere violento aſtu;
Ut norma titulo ſint ſecunda, re prima:
Modo error haud prævaricatio prava,
Ea ſit vocanda turpitudinis larva.
Homini ſupremum religio bonum in terris.
Commune porrò eſt maximè quod eſt ſummum.
Invitat omnes huc, & omnibus vult hoc
Deus patere, ſic benignus eſt verè.
Erat benignus ipſe Nero nonnullis.
Opus, genuſve nec ſuum oderit Satan.
Amator hominum caritaſque cæleſtis
Mera pater, id dat largiter quod expoſcit.
At mentem acutam, & otium dedit paucis;
Recondita ut ſcrutentur, imperat nullis;
Iuſſa ut faceſſant corde ſimplici, cunctis.
In hoc ſacrornm cardo vertitur totus:
Deumque novit, eſtque Sobriè doctus,
Quicunque novit ejus obſequi dictis.
Sunt facilia neceſſaria, & vacant tricis,
Spinoſus hæc ni diſputator intricet.
Utilia vix ſint, difficilia, perplexa,
Operoſa quæ ſunt, & retruſa, poſcuntque
Laborioſum examen, atque ſubtile
Mentis acumen: par in impari ſorte
Minoris hic ut ſors ſit, atque majoris;
Nec melius habeat, qui frequenter eſt pejor.
Contentus his, queis Chriſtus ipſe contentus,
Clerus protervus, ambitioque doctorum
Si vellet eſſe; quæ malacia oriretur
Extemplo, quamque optata rebus humanis
Beatitudo! Sed ſibi ſtudet quiſque,
Suiſque placitis, & ſacris adinventis:

Domi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Dominationis quæ libido, ſi vires
Adſint, habere & colere cogit in Sanctis.
Geneva, Roma, Witteberga ſunt teſtes.
Sic religiones publicæ, meræ paſſim
Sunt factiones, & tyrannicum ſchema.
Id agitur unum, ne recepta tententur,
Mutire contra ne quis auſit impune:
Non ut recipiantur ſalubria & vera.
Papatus hoc & antichriſtianiſmus
Germanus eſt ipſuſque. Ferre papatum
Vult nemo, quiſque gerere, cuncta papatu,
Papiſque plena. Væ ſacerrimis papis,
Papatuique; perditis, malis ſervis:
Ceſſante qui Domino venire, non ceſſant
Socios ferire, nequiterque bacchari.
Quin imo poſtquam & venit, & malis multis,
Malos miniſtros contudit, modo horrendo,
Orbe univerſo. Sunt Britanniæ exemplo.
Violentus illic conſcientias miles
Violare prohibet. Puritanus immitis,
Et infidelis Presbyter, Scotuſque ater,
Sævire, quæque ferre nolit, inferre
Dediſcit, illa dedocentibus caſtris.
Miles miniſter legis & Prophetarum;
Ut Chriſtum inermem audire qui recuſabant,
Nunc audiatur his magiſter armatus.
Lapides loquantur, militeſve, quid refert?
Peccat voluntas, lata lex voluntati eſt:
Non peccat ingenii hebetudo; ſed culpa
Maligna contumaciæ, atque contemtus
Sapientiæ cæleſtis, ac iners torpor.
At non habendus contumax probus vita,
Diſcere paratus ac docere, & imprimis
Perferre dura conſcientiæ cauſa.
Læſiſſe tales eſt ſcelus, necaviſſe,

Homicidium eſt abominandum, & immane.
Fit matyr, id qui ſuſtinet pio affectu,
Quamvis id error ſuſtinere compellat.
Nam cuique conſcientia altarum numen.
Quicumque cauſa illius oppetit mortem,
Mortem ille pro Deo oppetit: cui gratus
Haud eſſe non poteſt amor vel errantis
Summus: facitque & illa martyrem cauſa.
Facit tyrannum, ſæviiſſe in errores
Quoſcumque inermes. Sed tyrannis eſt crimen
Errore quovis tetrius: ſed erroris
Telum, atque veritatis impedimentum eſt.
Nunquam cruenta veritas fuit Chriſti,
Violenta nunquam: quippe caritas tota.
Sed veritatis arbiter quis in terris?
Aut Papa judex, aut is omnis eſt papa,
Qui non veretur vindicare jus Chriſti
Sibi, atque controverſias ſacras per vim,
Ferrumque terminare: quodque herus juſſit,
Fecitve nunquam, facinus haud timet ſervus
Audere dirum. Hæc veritas an invicta
Requirit auxilia? requirit hæc certe
Nefandus error; abſque ſcelere non conſtat.
Antiqua, ferrum, Vis, tyrannis, erroris
Nota ſibi diffidentis, & feri cordis
Sunt: hæreſeſque (ſive jure ſic, ſive
Injuria appellentur, ut ſolent vulgo)
Iniqua acerbitate perſequi, & ſævis
Pœnis, jugoque premere: prorſus eſt illud
Dira, execranda, immanis hæreſis; pejor
Cunctis, nocentiorque peſtibus peſtis;
Cujuſque primus author eſt, & inventor,
Homicida primus, atque carnifex mendax:
Pietate ut impia obterat pias mentes,
Et veritatem veritatis obtentu.

Hac

Hac fraude Chriſtus, hac apoſtoli oppreſſi,
Hac martyrum omnis multitudo ſanctorum,
Sanctiſſimuſque tandem, & optimus Regum.
Hac pene ſola pollet orcus, & ſævit.
Quem faſcinavit hoc diabolicum virus,
Furiis quibuſvis impotentius flagrat;
Occaſione dante ſe, dabit turbas;
Non ſceptra regum, autoritaſve primorum,
Nil tutum ab his, armata qui colunt ſacra.
Europa te, noſtrumque ſæculum teſtor,
Subverſa jura, remque publicam, reſque
Novas Batavis, Barneveltios manes,
Domitam Rupellam, perditum Palatinum,
* Opes petitas Amſtelæ improbo motu;
Et fluctuantes inſulas, mare ut Vaſtum,
Rectore trunco per nefas inauditum:
Donec reducant fata regium numen;
Sceluſque diſcors, & tyrannis effœta,
Inopſque mentis, corruat ſua mole;
Boniſque ſontes civibus luant pœnas,
Deo annuente, haud corrigant tamen mores.
Sanantur experientia vel inſani:
Nec arte, nec gens iſta Marte ſanatur;
Hoc conſecuta paucioribus luſtris,
Quam Roma ſæclis, par ut audiat Romæ.
Toto Remonſtrantiſmus his polo ſemper
Diverſus, inclementiæ truces leges,
Viroſque abhorret ſanguinum, & ſacra humanis
Infeſta rebus; ac profeſſus eſt hoſtis
Odiis amaris, præliiſque veſanis,
Techniſque, verſutiſque machinamentis
Eccleſiaſticæ turbæ, Dii tanquam
Forent minores, molientium regnum
Sibi; ſervitutis omnibus jugum, longe
Deterrimæ omnium, prementis ex omni

Vide Davidis Blondelli; Conſiderations de religion & d'eſtat ſur la guerre Angloiſe. pag. 104. & acta publica anni 28 & 29.

Parte, univerſas corporis facultates,
Animique, mancipatus ut homo ſit totus:
Lingua, manuque, oculo, pede, aure, nec liber
Vel cogitatione; ſed ſacerdotis
Ex arbitratu vivat, audiat, credat:
Legat, loquatur, ſcribat in ſacris rebus.
Theologicæ importunitatis huc tendit
Labor; ubicumque res ſecundæ, & ex voto
Ei poteſtas imperantium paret,
Serviliterque ſubditis gerit morem,
Et carnifex libidinis alienæ fit.
Hæc conſecuta robur à poteſtate,
Potens ut ipſa fit, potentibus leges
Imponit; & quos imperare natura
Ac jure fas eſt, jam neceſſitas cogit
Servire ſervis; aut ſacrificulos hoſtes,
Populos rebelles, cum malo ſuo magno,
Mox experiri, ſervitute per ſummos,
Graſſante, & imos ordines; ſui juris
Ut nemo vivat, nemo ſit Deo liber:
Minimè omnium, qui fabricator indignæ
Rei, tenetur, ut tenet, catenatus;
Servire cogit, ipſe nequior ſervus.
Sibi, ſuiſque obnoxius, ſuorumque
Placitis, opinionibuſque, nec raro
Nugis ineptis, ſomniiſque, papali
Quæ ſanxit imperioſa temeritas ſcito:
Mendoſa ſint an emendata, nec quærit,
Nec quærere audet ipſe, nec ſinit quenquam.
Phy turpe mancipium, execrabilis voti
Facinus nefandum: velle ſtringere & ſtringi;
Meliora quævis poſthabere conſuetis,
Nova reprobare parvicace contemtu,
Correctioni perpetim, ſecundiſque
Aditum negare, & ſanioribus curis,

Semel

Semel ſtatuta nolle reddere incudi,
Proficere nolle, nolle profici omnino.
Nos inter omnes liberum genus ſoli,
Sublime in altum tollimus caput cælum.
Servire ſoli diſcimus, docemuſque
Deo; bonumque vindicare commune:
Humana ne commenta ſubjugent corda;
Dominis duobus nec ſubeſſe mortales,
Cogat ſacrilegi machinatio cleri:
Sed mente liber, religione homo liber,
Suuſque totus; arbiter ſacricultus
Sit ſolus ipſemet ſibi, ex ſacræ chartæ
Dictamine, & ratione ſobria, ac recta.
Hæc veritatis vivi & obvii fontes,
Et unica, expedita, certa ſunt norma.
Autoritatis ſi cui leve hoc pondus,
Placetque patres, vel novos, vel antiquos,
Homunciones addidiſſe mendaces
Deo, Deique humana ſcripta Scripturis;
Servilis eſt quis; ille ſerviat ſane:
Non fit volenti injuria; atque nolentem,
Servare non poteſt homo, Deus non vult.
Pendere ab illo, & unice quidem ſolo,
Volumus Remonſtrantes, bona fide Soli.
Confeſſiones, formulæ, catechiſmi,
Concilia, Symbola, Synodi, patrum effata,
Academiæ, Scholæ, theologici cœtus,
Dëcreta, canones, acta, ſcripta, conventa,
Et inſtituta humana quælibet, priſca
Ætate nata, vel recenter excluſa:
Diverſa miris quot modis, & adverſa,
Pugnante pondere invicem refelluntur.
Suſpecta tot quoque ſunt modis, & incerta,
Examinanda cuique ſemper, aut nunquam:
Nam quis laboris eſt modus, quis eſt fructus?

Humana nempe claudicat fides ſemper,
Poteſtque ſemper fallere, & poteſt falli.
Figatne quis quam in lubrico pedem ſanus?
At fraudulentiæ tribunal hoſtile,
Violenta conjuratio, atque molimen
Synedrii prævaricantis, ô longè
Faceſſat; in nos nec quid occupet juris
Deforme Dordrechtum, vafrumve Tridentum,
Latrocinalis impius canon Stoæ,
Aſſertus infelice jurejurando:
Et quotquot amens ambitio, ſceleſtuſque
Dominandi amor, mortalibus parit ſtultis
Ejus farinæ Idola, quæ velut numen
Colenda grande, vis ſuperba proponit.
Hæc ſpectra nos, hæc monſtra nil movent falſæ
Divinitatis: abdicavimus, quicquid
Ratio ſacravit vanitatis; & fruſtra
Præſtigiator ille ſpiritus, nobis,
Idolatria hac callida facit fucum.
Illud veremur, illud unum adoramus,
Quod habere conſtat, confitentibus cunctis,
Illuſtre numen, entheamque virtutem,
Verbum tonantis: limpidum illud, ac auro
Puro, meroque melle dulcius verbum,
Pretioſiuſque. Cælitus datum manna,
Ambroſia vera, nectar hinc ſcatet verum:
Sol fulget expers noctis, & dies, ſemper
Serena, recto ſydere uberem lucem,
Intelligentiamque parvulis præbet.
Nos luce clara hac acquieſcimus toti;
Et noſter eſt, quicumque luce nobiſcum
Hac acquieſcit; atque ſchiſmatis noxa,
Idolatria, & impiæ probro vitæ,
Tyrannidiſque ſcelere liber atroci,
Diſſentientes, fert ut ipſe vult ferri;

Ut, vult haberi, ſic habet ſuos fratres,
Nuſquam moleſtus innocenter erranti,
Bonoque civi: ut ſit licet potens rerum,
Violentiæ nec umbra terreat quenquam;
Fortuna cunctos una dirigat cives.
* At *cum tyrannis nulla ſocietas nobis,*
Summa potius diſtractio eſt in æternum.
Nec ima diſtat terra longius cælo,
Quam nos cruentis diſſidemus à ſacris;
Quam ſæviendi amore diſtat à Chriſto,
Lupus Latinus, Allobroxque crudelis,
Et parricida ſpiritus trucis Picti;
Duri Cleanthis præsbyterium ſævum,
Ac turbulentum; Puritana loligo,
Et Sabbatiſtæ fervidi inquies faſtus;
Nigrique perduellis indoles Voeti,
Cum Sycophantiæ dolo Pharizææ;
Ieſuita priſcus & Reformatus teter
Imperii, in imperio architectus. Hic ſemper
Et paci, & imperantibus gravis, neſcit
Parere principi bono, malum ferre,
Tantum quietus in quiete turbata.
Rejicimus, improbamus, imo damnamus,
Abominamur, execramur audacter,
Has Chriſtianæ peſſimas rei peſtes;
Hoſteſque fulmen publicos ferit promtum;
Anathema nobis ſunt ii Maranatha.
At cum modeſtis, mitibuſque, & humanis
Ieſu alumnis, ſponte jungimus dextras,
Concordia aut conſenſione, fraternas:
Facillimumque copulat bonos gluten;
Quicquid reclamet, abſonus licet, verum
Inſontis, ac piæ error innocens mentis.
Fide efficace qui colit redemtorem,
Eique moribus ſatisfacit ſanctis:

**Verba Ciceronis ſunt officiorum tertio. Hæc contra Th. Bezæ, doctoris ſcilicet Evangelici, in Reſponſione ad Fr. Balduini convicia pag. 106. „Hoc autem iſtis „omnibus „denunties „licebit: nos „pro fratribus non „agnoſcere, qui „cumque „de juſto „Serveti „ſupplicio, „Deo gratias non „agunt.*

Sat veritatis ſe tenere demonſtrat;
Sat ille nobis, ſat ſibi, & Deo credit.
Subtilitates nil moramur obſcuras,
Nil conſequentiarum iniqua portenta,
Ut imputentur aſſerentibus ſana.
Sic judicamus, judicari ut optamus.
Germana Virtus, veritas pia, & ſimplex,
Pax alma, caritas amica, libertas,
Quæ jure gaudet compari, neget nulli,
Quod poſcat ullum; æquatque, lege fraterna,
Sibique fratres, ſeque fratribus charis:
Nil abſque aperta fœderis ſacri lege,
Damnare, vel ſtatuminare; divinæ
Autoritate vocis unice niti;
Regem colere, Deum timere; ſunt vota,
Sunt teſſera Remonſtrantium. Ipſe procedat
Livor malignus, ipſa, iniquitas, ipſa
Calumnia; atque quærat hic quod arrodat.
Hæc cauſa, POELENBURGI amice, te legit
Sibi patronum, vindicem, atque Doctorem.
Aut amplius quam præſtitum, aut parum certè
Præſtabis; & ſic res habere ſe noſtras
Nunc temporis, tibi aſſero, haud levis vates,
Silæva mens non eſt mihi. Nec id ſolus
Ego aſſero: & mecum aſſerebat id magnus
Vir ille, & omni ex parte laudibus cunctis
Deprædicandus, qui tibi locum ceſſit
Beatus, at lugendus intime nobis.
Graviſſima adverſaria ut tibi, hoc pacto,
Sit conſtituta, cernis: aſt ut inſurgat,
Non ut labeſcat animus. Arduis rebus
Virile robur incitatur; at torpet
Effæminatæ inertiæ cor imbelle.
Verbis Remonſtrantiſmum amabilem Veris
Es executus: facta jungito verbis,

Digno-

Dignoſque pulchra ſume Spiritus cauſa:
Autoritatis explica datæ vires,
Vir eſto: cuncta fortibus viris prona,
Et nulla prorſus invia via virtuti eſt.
Occaſiones, tempora, patria, exempla
Domi, foriſque, quin ab hoſtibus ſævis,
Quin à rigente Sarmata repoſcenda;
Cauſa ſine controverſia optima, & quicquid
Uſquam favere poſſit, hoc favet: prorſus
Adeſſe conſtat cuncta, ni viri deſint.
Viros miniſtra, cuncta ſubminiſtrabis.
Qua diſciplina tua præditos dote
Dimittat, admittatve; cautus expende.
Nihil, magiſtro te, mediocre ſpirare
Auſint alumni; & impetus iis altos
Immitte: nec contentus eſto tu ſolus
Ut audiaris: audiantur authores
Quoque celebrati in exteris; & imprimis,
Quos Gallia edit, elegantiæ mater.
Dallæus illic, unus hoc iter penſet.
Humaniores nunc ibi vigent artes,
Barbaria noſtro ſcæva dum ſolo regnat,
Comes moleſtæ ſervitudinis; quam tu
Amoliere, ſi vir es, Viris lectis.
Generoſus ardor quos agit, fove dexter;
Molles, minutos, deſides ſuis redde;
Arce profanum, inane, & impudens vulgus.
Sapientia, eruditione, virtute
Conſtare nobis ſacra conſtat, ut parti,
Tyrannide ac inſcitia, repugnanti.
Orator adoleſcentulus, novus, ſtultus,
Repente prodeat, citoque deperdat,
Rempublicam tantam, laboribus tantis
Quæ comparata totius bono mundi,
Non comparando? Sola quæ viam pandit

Com-

Compendioſam: regiamque, tutamque
Beatam ad immortalitatem? & hoc, Chriſti
Largè faventis munere, hactenus ſola
Præſtare ritè callet, ac cupit verè;
Ut pace terra, gloriaque in excelſis.
Deus fruatur; gratioſa ſit cælo
Hominum propago; ferreum nimis ſæclum
Mutetur auro, ætatibuſque divinis?
Bona tanta, totque poſſumus manu pigra
Tractare, tractandiſque non ſatis dignos
Dignari; & ingens hoc ſalutis humanæ
Opus, decuſque, proſtituere prodendum
Inſcitiæque, ignaviæque væcordi?
Mortalium indigniſſima omnium ſimus
Caterva. Vos antiſtites Remonſtrantes,
Et quotquot urit æmulatio Sancta,
Amice POELENBURGI, adeſte, tantæque
Defenditote turpitudinis probrum.
Quin veſtra ſudet cura rebus augendis.
Tantum tueri parta qui volunt, perdunt:
Non progredi, eſt retrogredi, jacet victus,
Qui non laborat vincere. Hic decet magna
Ambire: fortes adjuvat Deus; molles
Faſtidit, & qui ſancta ſegniter tractant:
Cietque languens nauſeam tepor Chriſto.
Dicam, quid uſus exigat, tribus verbis?
Viros, *Amicos* providete, *libroſque*,
Notam malorum morum, & ordinem juſtum,
Reverentiamque legum: eritque proviſum,
Bona Remonſtrantiſmus ut fide veſter,
Dicatur, & ſit ipſe Chriſtianiſmus.

JOANNES NERANUS,
Sedanenſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 K 300